1790 Potocki Stanislaus Felix...

STANISLAUS FELIX
P O T O C K I

REI TORMONTARIÆ SUPRÆMUS IN REGNO POLONIÆ, PRÆFECTUS, CONCIVES AD COMITIA PROVINCIARUM REGNI POLONIÆ DIE 16ta 9BRIS 1790. ANNO CONGREGATOS ALLOQUITUR.

Cum de Salute Reipublicæ, cum de libertate agitur, eô momento otiari & tacere, quod vilipendere Patriam, Civium, ſui & Poſterorum oblivifci, vinculis aptas præbere manus, verbô, nominis Poloni hucuſq; felici gaudentis libertate indignus videri, unum idemq; exiſtimo.

Si hoſtium infenſa præpotens dextra ſubvertere Rempublicam, una cum libertate niteretur, irem vobiſcum Concives, ſtrictô armatus enſe Patriam, vitaq, cariorem Libertatem piô tegere pectore, certum portans victoriæ omen. Gens enim libera eſse ſincere cupiens, ſubagi nequit. Jllæ porro gentes, quarum triſtiſsimô fato ſtrata libertas (liceat ſcripta ſæculorum revolvere) non alienâ, ſed civium ſceleratâ ruere dextrâ, quæ una ex parte blandis divitiarum, commodi, quietis, populum alliciens lenociniis, alterâ ſubdole conſtrixit compedibus, adeo: ut uno tempore gens fraudis victima, doloſi tyranni efficeretur ſpolium. Sors Poloniæ hoc tempore non infauſta, & rerum facies non deploranda, tueri Rempublicam videntur, conſervari hæc debet, niſi propriâ noſtrâ corruat voluntate. Non armis; dextrâ, perſonis, ab hoſtium inſultibus defendenda occurrit Patria, ſed pietatê in hoc communi Negotio ſuorum tuenda Civium, qui implorandi, ut & ipſi libertate gaudere, & poſteris

intactam relinquere libertatem vellent. Invaluit opinio, certè eprivatis emanans ſtudiis, liberam Regum electionem, omnium damnorum & publicæ oladis eſse fomitem, uni vero familiæ comiſsum hœreditarium dominium, futurum eſse ſcutum, quô unicè ſalus Reipublicæ protegi & defendi valebit. Illo inaudito perterriti fædere, quô trina Jmperia in noſtram ſociata perniciem rapinam ditionum noſtrarum præmeditari & iuopinatâ concordiâ exequi ſunt auſa, junctis Potentium viribus, nihil quidquam reſiſtere poſse convicti, conſervandæ Reipublicœ ergo, huic prælaudato Succeſsionis adhæremus remediô, quod ab infortunio, quibus rerum viciſsitudo ſubiacet, Patriam, ne utiquam munire, perniciosam vero peſtem libertati inferre poteſt, illi Libertati, quam ſemel amiſsam, nullô modô recuperare licebit.

Omnibus probè notum, unius regimini ſubiectas Nationes, non eſse exemptas a damnis, quæ calamitas temporum, dexteritas hoſtium ſæpiſsimè adferunt. Hæreditate, & potentiâ pollens domus Auſtriaca, Helvetas, Batavos non sita pridem, Sileſia, noſtris temporibus, a ſuo corpore intuetur avulſam, ſubditi eidem inclito Jmperio Hungari, iam amittebant, jam recuperabant nunc orbantur civitate Belgrad, parva Banat, cæteriſq; Arcibus, oppidis & Provinciis. Jmperium Othomanicum Deſpotarum ſubiectum Regimini, Crimeam, totq; alias amiſit Provincias. Hæreditarium Svecorum Jmperium, Livoniæ & Finlandiæ patitur damnum. Galli Canadam, Britanni immenſam nunc felicis Americanorum Reipublicæ originem, ab hæreditario ſolio avulſam cernunt; non hæreditarium igitur Regimen & ſecura Regna, & quietam conſervat tranquilitatem. Circumventi abſolutorum Regum ditionibus, continuo eaſdem bellis intuemur diſtractas. Noſterne Hæres cruori civium & noſtris parcet opibus? ſuperbô ille & avarô afflatus ſpiritu, quiete præſeferet, ne nos gliſcentibus in Europa admiſceret diſcordiis? illô illô momento, ferventi bello intricata Polonia, vel ejuſdem conſumetur ardoribus, vel in fronte victoris exercitus, intuebitur Regem ſuum, Gentis olim liberæ, ovantem Tyrannum. Tot recentibus edocti exemplis, patiemur integritatem noſtræ Reipublicæ, & ſolidam quietem, in hoc rerum quærere ſtatu, nihil prœter deteſtandam reperturi ſervitutem? Gens ne illa Polonorum nobilis, falsa pacis

depravatâ imagine, unius familiæ, ejusq; Clientum fovens ambitum, unius subdita dominio, mox servile tolerabit jugum? Convenitne nobis liberis, tam latam servitutis aggredi viam, quâ incauti Daniæ, Sveciæ, Pannoniæ Incolæ, infausto gradiebantur passu...? Poloni (affatur nos unus è celeberrimis hujus sæculi scriptoribus,) „ *His exemplis prosemper edoceri satagite libertatem cum sceptro hæreditario nunquam stare posse.* „ Conculcabimus igitur exempla favente Numine præ oculis posita? aspernemus salutifera monita? gensq; libera ad lumen veritatis cæca, in horrendam intrudi patietur abyssum, in qua gemens, ambitiosæ superbiæ & bachanti Tyrannidi præbebit escam? Illane Respublica, quæ hucusq; Regis dignitatem cum libertate incliti populi consociare, miro valuit modo, illud detestabitur Privilegium, cuius ope licet imbellis, licet ærumnis immersa, hucusque mansit libera? Quod cogitare de Republica, quod eandem consortare, & securam reddere licitum sit, hoc maioribus nostris debemus, quorum consiliô providô, hucusq; liberi, hæreditario non subiacemus dominio. Si enim illi simili publica perplecterentur mente, loco illius forte certaminis, in quo cudentes nobismet ipsis leges, gloriosa luctamur æmulatione, jussis obstricti, unius optemperaremus Dominio. Beneficio Prædecessorum stantem Reipublicæ, licet temporum iniuria, labefactam intuemur ædem; abusu & negligentiâ nostrâ inclinata, imprudenti ambitione variis in locis subruta, conflictû præpotentiæ cum libertate (Proh pudor! conniventibus civibus exterorum copiis suffulto) crudeliter afflicta, altior suis ærumnis, immobilis sui damno, manet tamen cum civibus, non dum hæreditario subiecta Domino inconvulsa. Caveamus ergo ne id, quod aliena Potentia debili non valuit adferre Patriæ, fraus astutia ad prævisum perduceret effectum.

Supra vicesimum aliquot annorum spatium luculenter demonstrat, omni modo allaboratum, ut populus crebra obsusus varietate, nihil certum, nihil solidum habere possit, innovata regiminis facie, continuo a prudenti maiorum nostrorum abducebamur regimine, dissensionibus & vi aliena turbatum quietum civem tædebat libertatis, bono & propenso in Patriam pingebatur vilis & suppræssæ Patriæ imago, indivisa ab immunitati-

verbo, nihil non actum, ut populus suæ conditionis pertæsus, præterita è memoria tollens, hæc amplecteretur vincla, quæ nunquam frangi, & disrumpi possent. Corrigendi Regiminis loco, Reipublicæ meditabatur pernicies, ut in ejus ruinis excretum hæreditarium Imperium, nonnullorum elatum animum commode alere & fovere posset.

Ex primordiis Comitiorum consequi licet, minime esse oportunum, ut dum fortes esse volumus, liberi esse desistamus. Libertas auxit ærarium, libertas numerosas coegit copias, libertas nisi subdola abduceretur fraude, redderet Rempublicam fortem, quietam, ordinatam, postposita hæreditariorum dominorum ope, quâ posset cadere subversa.

Ast proh dolor! posthabito nostro & libertatis negotiô eorum quærimus bonum, qui nos possidere, nobisq; dominari student.

Loco cudendarum Legum, quæ sine dubio veram Rempublicam constituere, eamq; prout rerum humanarum fert ratio duraturam efficere queunt, sciscitari a gente libera audent, velitne unius Principis fieri mancipium? velitne oblivisci, quid sit & qualis esse possit? velitne obfuscatus caligine civis, non prævidere ea, quæ imminent, nisi subdolam evitaverit lacunam? Audire mihi contigit illos servitutis declamantes Apostolos, situm nostrum geographicum, minime stabilitati convenire Reipublicæ, absorbetur ajunt illi, & subvertetur a vicinis, non ita pridem ab iisdem enormiter discerpta Polonia. „ Putant ne illud in rebus statisticis divisionis Poloniæ monstrum, illam inauditam inter tria Jmperia, sibi semper invisa concordiam reviviscere, & renasci posse sublato è medio Friderici Magni Genio, ejusq; in agendo subtilitate?

Quod ad me, video contra; intueor evidenter quod unusquisq; falsa opinionis non obcæatus caligine intueri potest. Situm nostrum habilem, & peroptimè ad conservandam, ordinatam, & stabilem Rempublicam aptum esse, tam genio libertatem prosequentis Poloni, quam negotio vicinarum Regionum conformem, quibus ditionibus Reipublicæ libertatis & immunitatum suarum unicè studiosæ, separari, & dislimitari incumbit, & proficuum censetur, ita: ut nemo aperte huic veritati inficies ire possit.

Sunt qui à longe quæſito amoris Patriæ colore ſe ſe decorantes ajunt. Libertas noſtra favet vicinis, hæreditarium vero odioſum illis dominium, ulciſcamur igitur illatas nobis injurias, ceſsemus eſse Liberi, & ſubruamus Rempublicam. Inſipiens Argumentum ſolvitur ſilentio. Cachinnari et tacere, eſt id, quod reſpondeo.

Alii ſophiſmatibus certant, forma ajunt Regni noſtri obliqua, quinpotius triangularis, minime Reipublicæ convenit Regimini, ceu poſsibile non eſset perfecta Provinciarum exdiviſione, in illiſq; Magiſtratuum conſtitutione, huic obvenire incommodo, promptamq; legum decernere executionem. Non me latet rotundam pro poſse Regionem, in medioq; poſitam eiuſdem ſedem, facilius gubernari poſse Idem fuit Galliæ ſitus, aſt cui ignotum, quid in hac perfectæ formæ regione ſit actum prius, quid poſterius, quidve in futuro agetur.

Non geometricus Regionis ſitus, ſed civium animus, felicitatem vel infortunium, libertatem vel ſervitutem dat populo. Nullos ego maiores humanitatis reperio hoſtes, quam illud innovatorum genus, quibus depravare & mutare animum populi eſt in deliciis, qui ſupra æqualitatem evehi cupientes, vel inhoneſti lucri ſpe commoti, liberis ab ævo regionibus jugum imponere, vel regna uni ſubiecta dominio, è ditione Principum evellere intendunt. Nos Poloni, adhucuſq; liberi; ſortem liberam in noſtro arbitrio depoſitam habemus; occurendum fraudi, quæ animum liberæ depravat gentis, occurrendum ea methodo, quâ maioribus noſtris periculis ſubvenire moris erat. Reſtauranda hæc ſancta prædeceſsoribus noſtris lex, vi cuius, quicunq; liberam noſtram Rempublicam in dominium hæreditarium transformandam ſatagit, qui genti liberæ, Solium ſucceſsivum decernendum proponit, hoſtis Patriæ & nominis Poloni indignus habetur. Hac lege revireſcet debilitatus illæ gentis ſpiritus, illi deniq; quorum cupidini ſolium hæreditarium eſt objectum, ad rectam impulſi viam, & Reipublicæ & libertati utiles reddi poſsunt, Scrutabuntur illi integritatem Patriæ, non in dira ſceptri hereditarii erectione, ſed potius in prudenti legum cardinalium, quæ integritatem libertatis unice tuentur conſtitutione. Non educationem Regiæ prolis

lege

lege describi curabunt, quæ potius adulatores, quam virtutes daret Juveni principi, quæ spem potius eludere, quam adimplere, & loco Patris Patriæ, Tyrannum enutrire est habilior, illam inquam legem, supplebit utilior quietæ, independentis electionis, non Jmperatorum, non Hæredum, sed tamquam in capite Reipublicæ Consulum, præfixura modum, quæ Respublica non splendori præmentis solii, sed fundamento legum, & robori liberorum Civium innixa, felix & indissolubilis permanebit.

Præclari Maiores nostri, quorum dexteritate libera Respublica ad nostra conservata devenit tempora, non modo solium hæreditarium, ceu sepulchrum evitabant libertatis, sed abdicationem sceptri nocivam libertati esse convicti, sanctô principes obstrinxerunt Sacramentô, ne ullatenus stante vitâ sui de destinando Successore cogitare possent. Noverant illi electionem durante vitâ primi, ullo modo securam, perfectamq; esse posse. Noverant Regem in adoptione Successoris, suis magis, quam Patriæ consulere rebus, similemq; designationis ritum, mox Successionem, demum infallibilem allaturum Tyrannidem. Non latebat eos electum Successorem duplicaturum horribiles in Republica factiones, binosq; Corregentes, iunctis viribus, de augmento suæ Potestatis & Privilegiorum, de augmento Regii fisci & imperii acturos, bina deniq; sceptra, in iuventute aulæ splendorum avidæ, spiritum libertatem anhelantem labefactare & corrumpere, veteranos derisione & facetiis deprimere, totamq; Gentem servituti aptam efficere valere.

Quod si mores & cogitandi modum illorum, a quibus jucundum libertatis accepimus donum spernimus, futurorum saltem providi, amplectamur ea, quæ neglecta libertatem nostram conculcare, & patriæ exitium adferre queunt. Si sensum animi mei sequi vellem, prudenti liberorum Maiorum adhærens opinioni, quam cultu prosequi & imitari sum asuetus, eandem cuperem summo retinere conatu. Ast qui sermones, quæ covicia vilium libertatem impugnantium non exorirentur homuncionum? En dicerent! Potocki sinistre electionem Regis dissuadet civibus, cum res & depressa exterorum sinit potestas, malens, ut idem vicinorum designaretur Insultu. O cives! si Polonus tam vilis esse possit, ut Instrumentum factus Tyrannidis Fraternam virtutem obfuscare

intenderet, mementote, unum Imperium poteſtatis, alterum fraudis eſse. Jllud quouſq; gens robore privata poteſtatem ſui in manus præmentium cernit translatam, viget & durat, hoc patefacto impiorum conſiliorum ſcopô, ceſsat & evaneſcit. Primum apertum, & evidens conſpicitur, alterum aſtutia, & fraude tectum, latet abſconditum, ſuppreſsit primum populus Auctione ærarii & copiarum, occurret alteri, amota quam longiſsime poteſtate Principis, a poteſtate gentis, ne quando populus propriis oppreſsus corruat viribus. Horribilior certe alterum nationi, boni enim publici obvelatam colore aſtutiam, cognoſcere difficile. Tecta arcanorum ſtatus miſteriis, non trita ſemita, vix dignoſci valet, hæc tamen non ſecus populo, ac vis opprimens evitanda incumbit, hôc enim paſsu, nulla evidenti præmente poteſtate, otius & probroſius Reſpublica cum libertate ad pernicien adduci poteſt.

Aſt inſidiæ & efoſsa omni ex parte libertati noſtræ extimeſcenda ſovea. Eorum evitanda conſilia, quorum impetus, omnia deliberanda ſine deliberatione exequi adurget, exequenda vero lentô proponit conſiliô. Jllorum nempe; qui minutiſsimis rebus moroſum, magni momenti ſubitum determinant effectum; Jllorum, qui prius gubernacula Regni tradere ſuadentes, libertatem ſtabiliendam futuro reſervant tempori.

Sed aggrediamur ea, quæ Genti adimplenda incumbunt, quæ ſi viventi principi ſucceſsorem deſignare intendit, ſi decipi non vult, ſi caram incolumitatem Patriæ & libertatis habet, mêo judiciô, priuſquam eligendi Regis deſcribet ritum, inchoatum legum opus ſinire, contraria libertati è medio ejus tollere, proficua & utilia appendere debet; Difficilius enim & vix veri ſimile tum legibus premunire Libertatem, cum dominans & dominaturus complicatis viribus poteſtatem ſceptri ſemper libertati nocivam, ad ſummum extollere conabuntur.

Conſtituenda imprimis ordinata & libertati Nationis conformis eligendi Regis methodus, (ſi Regum regimini ſubiacere, ſemper Reſpublica cordi habebit) ne forte deſignando, vel deſignato jam ſucceſsore eveniat, ut gens lacunarum circumſepta ambagibus, illorum Jmperiô impromptu ſe ſubiectam videat, quibus temporaneum tradere non auderet dominium. Separanda demum lege immobili, a pote-

a potestate, dominantis Reipublicæ potestas, ab ærario scilicet, & exercitu, ne forte licet temporaneus Princeps, illorum usu & Hæres & Tyrannus effici posit, hæc electionem anteire debent, nisi lubeat temporibus nostris, & exitum intueri Patriæ, & servile portare jugum, ærarium & exercitus noster, non ut prius, parvis æquantur manipulis, hac mole gens libera supprimi, perquam facile potest, hæc introspecta nunquam satis præcaveri possunt.

Tollenda ante omnia horribilis illa proposita nunc liberæ genti, in cudendis legibus vetandi per Regem potestas. Condere & tollere leges, usitatâ more maiorum praxi, penes nationem maneat potestas; quam potestatem, siquis oretenus, vel scripto impugnare conatus fuerit, ante electionem Regis perpetua muniendum lege, ut hostis Patriæ proclamatus, irrevocabilis exilii subeat pænam; hac porro prætermissa, mole sceptri suppressum Reipublicæ extingueretur dominium.

Electionem insuper conventa inter Regem & principem juramento confirmanda Pacta præcedere debent, inter cætera ejusmodi.

1mo. Quod durante vitâ nullatenus successorem troni nequè directè, neq; indirectè sit promoturus.

2do. Quod nullus è numero Consangvineorum electi, stante vita & Principatu ejusdem officio legis lationis gaudere, Ministeriis fungi, regimini Ærarii vel Exercitûs, sive Arcium Reipublicæ præesse poterit.

3tio. Quod sceptri Privilegia augere & dilatare, nunquam stante vitâ & Principatu sui sit curaturus.

4to. Quod Regimen copiarum Reipublicæ adipisci, nunquam studebit, quinimo Exercitum per alium, cui Respublica confidet gubernandum patietur. Quod si urgente necessitate totam Nobilitatem, per decisionem statuum arma capessere contigerit, tunc prout caput gentis congregatæ ad casum Nobilitati præesse muneris habebit. Exclusis nihilominus a Regimine ejus Copiis, usitato stipendio per Rempublicam provisis.

5to. Ad exteras nationes legati nunquam a Rege, sed a Republica ordinabuntur.

6to.

6to. Negotia qualicunq; modo Poloniam, eiq; annexas Provincias ſpectantia private cum exteris nunquam tractare poterit, neq; illi directè, vel indirectè cum iiſdem cointelligere licebit.

7mo. Ut ad Magiſtratus, Judicia, Subſellia, neq; directè neq; indirectè ſeſe immisceat.

8vo. Quod ſalvâ voluntate & libertate Reipublicæ durante vitâ & principatu ſui nullô modô ad Electionem nuntiorum, Judicum ſupræmi Tribunalis, intrudere ſeſe audebit.

9no. Quod in Comitiis generalibus neceſsitates & pericula, in communi propalando, liberam vocem ſupprimere, non intendet, effatis vero ſtatuum contradicere vel eadem cohibere nunquam, ſit auſurus.

Hoc modô ſecurâ redditâ Republica, his conditionibus futurô præſcriptis Regi, gens diem præfigat electioni, apparebit Candidatorum cætus, non inſciorum, quo nam pacto Diademate Reipublicæ decorari poſsunt. Unus favore gentis eligetur, ſimus tamen certi, quod, quô minori ſceptrum noſtrum pollebit poteſtate, eo Gens non modo maiori firmabitur libertate, verum etiam omnibus factionibus et influxui exterorum ptæcludetur aditus. Quid enim cuipiam proderit, ſtudio & conatu ſolium Poloniæ prolibitu ſui alicui diſponere, qui nec ærario, nec copiis promotorem remunerare valebit. Vana igitur & inutilis ſollicitudo ibit incaſsum, eo magis noſtrâ creſcente libertate.

Cum de Republica ejuſq; libertate dicere inceperim, brevem facere conabor mentionem, illius liberi Reipublicæ ſalutem, vel exitium allaturi operis; dicam inquam, de legislativa Reipublicæ poteſtate, ſcilicet generalibus Regni comitiis. Ut crebra comitia & renovatio nuntiorum libertati & principatui Reipublicæ ſunt perquam opportuna, ſic continua Comitia eaſdem perſonas in gremio ſui ſervantia, præcipuè vero durabilem legum cudendarum poteſtatem, non modo nocivam, verum exitioſam Patriæ futuram agnoſco. Longa illa & illimitata legislationis in iiſdem perſonis conſervata poteſtas, incorruptos libertatis defenſores, quietos reddere & ſopire poteſt. Hic ægritudine, alter domeſticarum rerum curâ è loco comitiorum ſegregabitur, ille aſtutiâ ſeductus, cæteri ſcelerata dexteritate, & largitione corrupti, aptum aperient

rient

rient campum, momentumq; idoneum, quô inopinatô, Refpublica attacta fulmine, abundanti fuorum madefacta cruore, ne utiquam reviviſcere & ſublevari valebit.

Verum, licet in hoc caſu infallibile Reipublicæ exitium adhuc cerneretur rèmotum, numne continua illa, & ut ita dicam, æterna conſtitutionis legum poteſtas, vere nos liberos reddere poteſt? Quid enim jucundam illam libertatem, & realiter ſecuros nos efficere poteſt? nihil certe aliud, niſi perſonarum, immunitatum & bonorum noſtrorum integritas. Vere liber civis domeſticos inter parietes ſecure fari poteſt. En me, meis cum rebus liberum, & nemini ſubjectum. Hic menſe meæ appoſitus legum codex, vitæ meæ norma & ſcutum adeſt, non me latet quid ſim, quid Patriæ pro libertate ſit tribuendum; de cætero, nullius juſsis obſequi teneor.

Fateamur nunc ſincere, poteſt ne civis liberum se putans, continua legislatione, licet per alternos dictatores ſese volvente eadem præfari dicta? cum continuo, quid ſit acturus, quid ſoluturus incertus, quid ſit den q; futurus ab inopinatis eorum, qui condunt & frangunt leges, dependeat, mandatis?

O Cives! ſi vos libertatis & ſecuritatis tangit cura, violento illi legislationis proluvio ponite obicem, qui, niſi arcto cohibeatur aggere, quandocunq; libertatem & ſtatum noſtrum, maiorum ſolertiâ inſtitutum, divellet & eradicabit. Habeat tempus & modum præfixum legislatorum poteſtas, quem ultra progredi ſit ſacrilegum. Aſsueſcat publico officio præpoſitus, libertatis conſervandæ gratiâ, depoſitis Faſcibus, fieri ex Conſule Civis. Ne liceat legislatoribus temporaneâ poteſtate munitis, ultra præſcriptos limites quos tranſgredi nefas ruentibus. „ *Salus populi ſupræma lex eſto* „ exclamare impune. Hoc axiomate genti, non vero ejuſdem vicariis uti licet, Genti inquam illo momento, quo ejus vicarii, ſive fraude illuſi, ſive Patriæ & genti fidefragi, ſpreta libertate, nova legum Conſtitutione jugum Civium cervicibus imponere præſument. Jllo tandem, illo tempore ſalus populi ſupræma lex habeatur, rejectis novo conditis Legibus, quibus ab ævo gens libera horribili traderetur ſervituti. Nulla lex nova priſtinam tollere poteſt libertatem, niſi hæc voluntariè a libero

de-

deſereretur Populo. Aſt poteſtas nuntiorum temporanea certis limitibus coarctari debet, quos transgredi ſalvo fidelitatis vinculô genti deſponſo ſit ſacrilegium, ſinſecus, vicarius dominabitur Genti.

Cum præſens hæc ſcriptis compræhenſa vobis o cives enucleare nequeam; reſpicite benigne, quæ oculis veſtris exarata obveniunt. Lubeat veſtræ opinioni, veſtro de me judicio horum, quæ ſcribo, quæ Patriæ præſtare ſtudui operum, non vero ab infimis obtrectatoribus ſparſarum in me calumniarum, reminiſci. Animus liber, animus a virtute maiorum minime devius, in pectore meo vigens incorruptus, fraudis expers, mentis meæ Rector inſpirat ſcriptis. Legite, & compræhendite hæc o Concives, ſibi & Patriæ piis proviſuri operibus. Confiſi deniq; me, meamq; felicitatem abunde in publica reperturum ſalute.



delinquentis Populo. Ast potestas munitionum temporanea certis limitibus coercari debet, quos transgredi, isto fidelitatis vinculo genti desponsus sacrilegium, luitetur, ubi eius demandatur Genti.

Cum postremo haec scripsis comprehendit vobis o cives em-[illegible] vestrae ac benigne, quae coeteris vestris expresita obveniunt; Lubens vestrae opinioni, vestro de me judicio formam, quae [illegible], quo Patria gaudere licuit opertum, non vero ob infamis obtrectatoribus figurationem de me calumniatorem, remisisse. Animus liber, animus a virtute maiorum minime devius, in pectore meo vigens incorruptus, fraudis expers, monet saepe Rector insignet longius. Legite, & comprehendite. Ist o Concives, fili & Patriae pias providam operibus. Confisi denique me, meamq; felicitatem abunde in publica reperturum salute.